

235

233

239

229

244

224

284

184

334

134

Ende

Anfang

220

Arabes, populus nudus, miserrimus, bestialis, profugus, solius  
deserti inabitabilis inhabitator, omnes vexat, turbat et  
domat, etiam ipsum regem, potentissimum Aegypti Soldanum.  
De his Arabibus alio loco venit latius dicendum. Igitur dominis  
Mauris et patronis occupatis in consiliis nos mansimus in  
curia cum magna inquietudine, quia curia tota erat plena  
mercatoribus, et tumultus ingens fuit ibi. Concurrebant enim  
Sarracenorum juvenes mali, et pueri ac senes, et nos nimis  
fatigabant, et stabant ante nos videre et audire nos, et  
praesertim illos, quos passionatos notaverunt, et illos, qui ad  
eorum ludos riserunt. Non facile possem tribulationes et trufas  
juvenum Sarracenorum enarrare. Inter alia tamen contigit,  
quod quidam protervus juvenis locavit se ad pedes cuiusdam  
peregrini nobilis et maturi viri, et circumspexit, an aliquem  
colludentem invenire posset. Tandem conversus ad nobilem,  
ad cuius pedes (**B**) se locaverat, arripuit ei pedem, ut  
traheret, miles autem ille perpendit primo incautum esse  
jocum, retraxit pedem ad se, quasi non esset sibi curae de  
eo: juvenis vero videns se contemni, alterum pedem nobilis  
in terra sedentis arripuit, trahens nobilem, ut eum in dorsum  
poneret. Et dum fortiter traheret militem, miles commotus,  
et emisso cum violentia alio pede, quem retraxerat, in ventrem  
Sarraceni adeo dure trusit, quod juvenis pedem tentum  
dimisit, et eversus capite deorsum et pedibus sursum usque  
ad medium pavimenti revolutus sicut globus volvebatur. Et  
surgens juvenis confusus habitaculum exivit: in hoc facto  
valde timebamus, ne juvenis concitaret aliquos contra nos.  
Sed nihil mali secutum fuit. Alius quidam juvenis trufator  
ingressus stetit ad faciem cuiusdam peregrini, et fecit quas-  
dam digitorum plicationes, turpitudinem quandam signantes,  
quod ille peregrinus sustinere non valens, cum suis manibus  
manus illius trufatoris fortiter percussit, et ei turpem figuram,  
quam digitorum plicatione fecerat, destruxit. Quod cum vidisset  
armiger quidam Sarracenus, vehementer iratus contra pere-  
grinum insurrexit, et nisi peregrinus ille se occultasset, in  
captivitatem ductus fuisset. Stabat enim armiger ille cum  
complicibus suis, et diu exspectabant, si illum peregrinum  
possent in loco oportuno apprehendere. Sed peregrinus amplius

